

TRACTATUS VIGESIMUS SEPTIMUS

DE SACRAMENTO PENITENTIAE

Quidam penitentiam Eucharistiae praeferunt, sed ordo sacramentorum a Tridentino praescriptus, post Eucharistiam collocat hoc sacramentum; unde, eandem servando ordinem, de penitentia post Eucharistiam agimus cum D. Thom. 3. p. q. 84.

CAPUT I.

Natura, & distinctio, actus, & necessitas penitentiae.

PUNCTUM I.
De nomine, & essentia penitentiae.

1. Inq. 1. Unde dicatur penitentia? **R.** Dicitur a poena, seu punitione, quia poenitentia idem est, ac poenam tenere. Unde penitentia in communi potest esse triplex, justa triplex motivum, ex quo poena oritur. **Primo**, si quis doleat de re bona, vel mala, quam cupiebat aliter factam. **Secundo**, si quis doleat de crimine, causa, non Dei, sed sui ipsius, sicut Esau, qui doluit propter escam vendidisse hereditatem, quae dicitur, & est penitentia falsa. **Tertio**, dum quis dolet de peccato, quia est contra Deum, & haec est vera penitentia, de qua loquimur. Dum in sacra pagina dicitur Deum dolere, aut poenitere, est locutio metaphorica, utraque significans effectum externum quoad nos; nam in Deo nec dolor, nec penitentia esse potest.

2. Inq. 2. An in Christo Domino fuerit penitentia? **R.** neg. Quia nec peccavit, nec potuit peccare, ideo non fuit in eo penitentia, neque quoad actum; neque quoad habitum. In Beata Virgine fuit penitentia quoad habitum, quia potuit peccare; non tamen quoad actum, quia numquam peccavit. In Adamo quia potuit peccare, & de facto peccavit, fuit penitentia quoad habitum, & quoad actum. Angeli sunt incapaces verae penitentiae, quia ex natura sua sunt inflexibiles, unde Daemones do-

lent poenam, quam patiuntur, at non culpam, quam commiserunt.

3. Inq. 3. Quid est penitentia? **R.** Possit considerari, vel ut virtus, vel ut sacramentum. Ut sacramentum habet duas definitiones, aliam metaphysicam, physicam aliam. Metaphysica est, *sacramentum novae legis causatum gratiae remissionis peccatorum commissorum post baptismum, vel in ipsius receptione.* Physica est *actus penitentis sub praescripta verborum forma, a Sacerdote potestatem habente, prolata.* Penitentia ut virtus, vel habitus est *virtus offerens Deo debitam satisfactionem, & dolorem pro peccatis.* Juxta alios est *praeterita mala plangere, & plangendo iterum non committere.* Sed haec potius est descriptio, quam definitio penitentiae. Cum enim haec sit quaedam justitia, esto imperfecta, hominis ad Deum, ordinatur ad restituendum Deo, quod ei debetur, nempe dolor, & satisfactio pro peccato.

4. Unde penitentia est virtus specialis, & pars potentialis justitiae, quae recipitur in voluntate defectibili, sicut aliae virtutes morales; licet aliqua ex istis in voluntate indefectibili, uti in Christo, recipiantur. Ejus objectum formale quod est satisfactio, & quia nequit Deo a puro homine dari satisfactio adequata secundum aequalitatem, ideo est justitia potentialis, aut imperfecta. Objectum cui est Deus: materia remota sunt peccata, ut detestanda, & destruenda: materia proxima est omne id, quo Deo satisfieri potest, ut dolor, oratio, elemosyna, jejunium, & cetera poenitentiae. Virtum ei proprie oppositum per defectum est impenitentia, seu propositum non poenitendi. Per excessum vix habet vitium oppositum, saltem interius, nisi exterius detur aliquando penitentia indiscreta. Differt a religione, quia haec tribuit honorem Deo absolute, ut primo principio; penitentia vero non absolute, sed ex suppositione honoris ablati. Est tamen virtus simpliciter perfectior religione, quia hujus objectum non appropinquat tan-

tum Deo sicut objectum penitentiae, nempe satisfactio offensa Deo moraliter intrinseca. Prudentia vero perfectior est virtus, quam penitentia, quia illius objectum comprehendit omne bonum honestum; ideo universalis est: objecto penitentiae, quod determinatum bonum est. Ita N. Salmant. schol. in 3. p. q. 85. a. 6. 5. Inq. 4. In quo conveniant, & differant penitentia ut virtus, & penitentia ut sacramentum? **R.** Convenire, & differre in pluribus. 1. Conveniunt in eo, quod utraque causat gratiam effective; ut virtus moraliter, ut sacramentum physice instrumentaliter. 2. Utraque requirit emendationis vitae propositum. 3. Utraque dicitur, & est secundum tabula necessaria pro peccati naufragium. 4. Utraque requirit pro subiecto hominem adultum. 5. Utraque valet iterari etiam circa idem peccatum.

6. Differunt autem primo, quia ut virtus est a principio mundi, & de jure naturali; ut sacramentum est ab institutione Christi, & de jure positivo, postquam illud Christus instituit, post resurrectionem, dum Apostolis dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ut sacramentum constat materia, & forma praescripta, non ut virtus. Ut sacramentum, non requirit ad justificandum dolorem perfectum, sicut requiritur ut virtus. Ut sacramentum, solum requiritur in lege nova, ut virtus, fuit necessaria in omni lege. Denique, omissis aliis differentiis, ut virtus, ponitur sub genere habitus, ut sacramentum, sub genere signi.

PUNCTUM II.
De actibus virtutis penitentiae.

7. Inq. 1. Quot, & quales sint actus penitentiae? **R.** Actum ejus adequatum esse dolorem de peccatis propriis. Hic autem dolor dividitur in alios duos actus, qui *contritio*, & *attritio* appellantur. Contritio est actus perfectus a caritate imperatus, & includit ipsam caritatem; ideo a virtute penitentiae necessario procedit. Attritio est actus imperfectus, ad quem eliciendum sufficit auxilium supernaturale. 8. Inq. 2. Quid sit dolor, contritio, &

attritio? **R.** Dolor est poenitentia peccatorum contra Deum commissorum. Contritio est dolor perfectus, de peccatis assumptis propter Deum summe dilectum cum proposito confitendi, satisfaciendi, & de cetero non peccandi. Attritio est dolor imperfectus; de peccatis assumptis propter poenas inferni, amissionem gratiae, vel gloriae, vel propter deformitatem peccati cum proposito confitendi, satisfaciendi, & de cetero non peccandi. Dicitur dolor imperfectus non absolute, & positive, sed negative, & respectively ad contritionem; nam in sua linea etiam attritio est dolor perfectus. Vix ante seculum XIII. nomen attritionis fuisse auditum testantur plures, sed postquam Alexander de Ales., Albertus magnus, & alii hanc vocem in scholas invexerunt, communi plausu a theologis recepta est.

9. Inq. 3. In quo differant contritio, & attritio? **R.** Differre praecipue in earum principio, motivo, & effectu. In principio, quia, ut dictum est, contritio procedit ab habitu, seu virtute poenitentiae; attritio vero ab auxilio divino. In motivo; quia contritio detestatur culpam propter Deum summe dilectum; attritio vero propter poenam. In effectu; quia contritio producit gratiam, & connectitur necessario cum ea; non vero attritio, nisi simul cum sacramento. Differunt igitur essentialiter ex suis motivis formaliter diversis. Nota autem, quod, licet attritio incipiat a timore poenae, ultimus tamen finis attritionis non est poena, sed Deus ut iudex in ordine supernaturali, & agnitus lumine fidei. Si enim procederet ex timore poenae, etiam alterius vitae, infligendae a Deo, ut auctore naturali, esset attritio naturalis, quia plures philosophi cognoverunt poenam alterius vitae, ex qua lumine naturali probarunt animae immortalitatem. Poena igitur solum est motivum excitativum attritionis. Unde attritio est etiam dolor de peccatis propter Deum, licet non ut summe dilectum.

10. Differunt insuper in eo, quod contritio semper est dolor universalis de omnibus peccatis, quia motivum ejus formale est universale, nempe Dei offensa gravis; ideo nullus potest habere contritionem de uno peccato gravi, quin illam habeat de omnibus. Attritio autem potest esse universalis, & etiam particularis jux-

ta ejus motiva. Si enim quis doleat de peccatis ex metu gehennae, est universalis; si vero ex turpitudine peculiari hujus peccati, erit particularis. Præterea differat quia contritio semper est entitative supernaturalis; attritio potest esse vel ex omni parte supernaturalis, vel etiam naturalis, ut dum peccator dolet de peccatis ob poenam temporalem. Et potest esse naturalis entitative, & supernaturalis quoad modum, ut dum prædictus dolor est in homine justo, in quo omnis actio honesta est supernaturalis quoad modum, ex gratia, & caritate illam ad Deum finem supernaturalem ordinante. Omittuntur aliæ differentiae minus utiles ad intentum.

11. Inq. 4. In quo differat actus contritionis ab actu caritatis? R. Differre potissimum in motivo, quia motivum contritionis est summa bonitas Dei cognita per fidem, ut *offensa*; motivum vero actus caritatis est summa bonitas Dei cognita per fidem præcisive ab *offensa*. Unde actus caritatis est velut aurum purius contritione; licet ista etiam in linea supernaturali sit tamquam aurum, quod Deo offertur pro debitorum solutione. Nequit dari actus contritionis sine caritate, sive imperante, sive concomitante: est enim dolor de peccatis propter Deum summe dilectum. At potest caritas esse sine contritione, ut patet in Christo, B. Virgine, & Angelis. Nec audiendus est Concina dicens, quod sicut contritio includit caritatem, ita caritas includit contritionem. Nec audiendus est in eo, quod aserit contritionem esse actum non prosecutionis, sed fugæ, & detestationis. Hæc enim theologia languida est, quia actus, præsertim primarius virtutis est actus prosecutionis, & tendentiæ positivæ ad objectum. Allucinatur Concina, confundens objectum contritionis cum peccatis. Peccata fugit, & detestatur contritio; sed objectum contritionis non sunt peccata, sed satisfactio pro peccatis. Unde melius debuit describere contritionem *l. 1. de pen. c. 9. n. 1.*

12. Inq. 5. An actus caritatis possit esse contritio virtualis? R. Posse esse contritionem virtuales *eminenter*, ut dum quis immemor peccatorum eliceret actum caritatis. In hoc casu reciperet gratiam, justificaretur, & consequenter mundaretur a peccato impossibili cum gratia, &

caritate. Hic autem actus, nec includit contritionem, nec est sufficiens pro materia sacramenti penitentiae; cujus oppositum sequeretur, si illam includeret, ut ait Concina ubi supra. Nam licet dolor virtualis, ortum dicens a formali, sufficiat ad sacramentum penitentiae, non vero dolor virtualis eminentialis; hic enim non aliud est, nisi ipsa caritas, expellens peccatum ob incompatibilitatem cum eo. Imo justificatus per actum caritatis adhuc tempore debito, ut in articulo mortis, tenetur elicere actum contritionis, sicut e contra. Nam præcepta caritatis, & penitentiae sunt omnino distincta. Ita N. Salmant. schol. tract. 23. disp. 5. num. 260.

PUNCTUM III.
De necessitate penitentiae, quatenus virtus.

13. Inq. 1. An in omni lege fuerit peccatoribus necessaria penitentia? R. affirm. Quia nequeunt peccata remitti, quin Deus misericorditer restituat peccatorem in suam amicitiam; sed Deus non restituit in suam amicitiam impenitentem: ergo necessaria fuit in omni lege penitentia, quatenus virtus. Constat etiam ex illo Luc. 13. *Nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Igitur penitentia, ut virtus, semper fuit, & est necessaria, absolute loquendo, necessitate mediæ, & præcepti divini positivi, imo & naturalis, ut superius est indicatum. Reducitur autem præceptum naturale penitendi ad primum decalogi mandatum; ex eo enim, quod Deus est diligendus, deducitur, quod minime sit offendendus: si verò offendatur, debeat satisfieri offensa, ad quam satisfaciendam requiritur necessario penitentia. In lege autem nova per sacramenta baptismi, & penitentiae restituitur peccator in Dei amicitiam; ideo non est præcisive necessaria contritio perfecta, sed sufficit imperfecta, seu attritio simul cum sacramento.

14. Inq. 2. Quando obligat præceptum naturale penitentiae? R. Obligare *per accidens*, & *per se*. Obligare *per accidens*, dum quis in peccato existens suscipere cogitur sacramenta vivorum, vel ministrare sacramentum ex officio, aut ministrare

Cap. I. Natura, distinctio, actus, & necessitas penitentiae.

terium sacrum, vel adest magna calamitas populi, vel imminet tentatio, aut periculum peccandi, vel urget aliud præceptum, quod impleri nequit absque contritione. Obligat *per se* in articulo mortis, saltem semel in anno, & etiam aliquoties in vita. Cum enim Ecclesia adhuc tempus fixum non designaverit, non est usurpanda ejus autoritas, ut quisque illud præferat. Ad asserendum obligare omni die festo non adest fundamentum. Per susceptionem sacramenti penitentiae cum vera attritione satisficit huic præcepto regulariter in vita.

15. Inq. an peccans mortaliter teneatur quam primum ad contritionem? R. affirmative ex cap. 5. Eccles. *non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*. Quæ quidem verba præceptum sonant in sententia communiore, et probabiliore: præcipit ergo Deus, ne contritio differatur de die in diem, tenetur ergo peccator quam primum ad contritionem, non in instanti physico lapsus, sed in instanti morali; præceptum ergo penitendi esto sit affirmativum quantum ad verba, implicat tamen hoc negativum: ne differas, eo modo quo tract. 19. n. 5. diximus de præcepto restitutionis. Contritio autem restitutio quædam est, veluti satisfactio Deo debita pro offensa, reintegratio est honoris a Deo ablati per peccatum, quo homo efficitur debitor Deo, ait Angelicus Doct. in suplem. q. 13. a. 1. Si debitor; ergo satisfaciatur statim. Proximus alapa cæditur, illico est obligatus aggressor ei satisfacere. Civis injuria afficiens concivem suum, statim tenetur ei reconciliari. Filius Patrem suum inhonorans, quam primum adstringitur ab eo petere veniam? Cur ergo ab hac obligatione liber erit insolens peccator Deum inhonorans, eumque jure ultimi finis privans? Non ergo differas de die in diem, si non vis experiri illud D. August. serm. 17. de verbis Domini: "cras cras convertar: ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt cras cras, et subito ostium clauditur: remansit foras cum voce corvina, quia non habuit genitum columbinum." Ex duplici ergo capite tenetur peccator ad promptam contritionem, ex obligatione justitiæ Deum pacandi, et ex charitate propria a servitute Diaboli se ipsum liberandi, peccatum enim consti-

tuit hominem servum Diaboli, eumque privat communionem sanctorum, merito, et satisfactione omnium operum bonorum. Sanct. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 8.

16. Inq. 4. An qui in articulo mortis susceperit sacramentum penitentiae cum attritione supernaturali cognita, teneatur ad contritionem? Circa hanc difficultatem duplex militat sententia, utraque valde probabilis, ac validis rationibus munita, quidquid in oppositum declamet Concina, vanis interrogationibus contra Cardinalem de Lugo, & alios pios, & graves Auctores.

17. Nihilominus in praxi amplectenda est sententia affirmativa, quæ asserit peccatorem in illo articulo debere elicere actum contritionis ob periculum æternæ damnationis: quia sententia hanc obligationem negans, non est omnino certa, neque scit certo peccator, an sit in gratia, adhuc suscepto sacramento modo dicto; sed in articulo mortis debet quisque amplecti, id quod securius est, ne exponatur damnationis periculo: ergo cum contritio sit medium securius suæ æternæ salutis, debet illam elicere, vel ad eam conari. Perfecto articulo mortis variat casum, & terribile est in illa hora non facere id, quod est securius, ut diximus ex doctrina S. M. N. Teresie tract. 2. n. 100.

18. Frivolum autem est, quod loco citato interrogat Concina: *Desiit ne in lege evangelica respectu illorum, qui confitentur, præceptum contritionis, etiam in extremo luctu?* Respondere namque quilibet valet, affirmando, vel negando, quin ex eo bene intellecto, aliquid absurdum sequatur. Quoniam juxta sanam, etiam D. Thomæ doctrinam, sacramenta mortuorum, imo aliquoties & vivorum rite suscepta, faciunt peccatorem ex attrito contritum; unde & potest dici in aliquo sensu, quod desiit in nova lege præceptum præcisive contritionis respectu suscipientis sacramentum penitentiae; & potest dici, quod non desiit, sed quod variatum est quoad modum, ita ut medio Sacramento adimpleatur. Esto autem hoc sit probabilius, & communis Theologorum sententia; quia tamen non est omnino certum, ideo quisque in ultimo vitæ, ad vitandum damnationis periculum, debet adhibere remedium certius, quod est contritio.

19. Objic.

19. Objic. Sententia asserens justificari peccatorem per sacramentum penitentiae, cum vera attritione susceptum, est moraliter certa; sed adhibita hac morali certitudine, ad nihil amplius tenetur peccator circa peccatorum detestationem: erg. non tenetur ad contritionem. R. Quod hoc, & alia argumenta satis probabilem reddunt oppositam sententiam. Verum quia ad summum probant non peccare ex hac parte omittentem contritionem; non vero habere omnimodam certitudinem suae justificationis, si forte sacramento defuit aliquid necessarium, vel ob alium defectum occultum, esse liberum a periculo damnationis, & alias habet certius remedium, quod potest applicari, nempe contritio, ideo ad hanc tenetur in illa ultima hora, qua transacta, ad omne remedium clausa est janua.

CAPUT II.

De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma.

20. **S**upposita notitia penitentiae, ut virtutis, progredimur ad ejus discussionem in ratione sacramenti. At quia hujus sacramenti definitio, tum physica, tum metaphysica, jam supra tradita est, tantum de ejus institutione, necessitate, materia, & forma erit sermo in hoc capite.

PUNCTUM I.

De institutione, & necessitate sacramenti penitentiae.

21. Inq. 1. A quo, & quando fuerit institutum hoc sacramentum? R. A Christo Domino fuisse institutum complete post Resurrectionem, quando apparet Apostolis Joan. 20. dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ita Trid. Sess. 14. Can. 1. & 3.

22. Inq. 2. Ex quibus componatur hoc sacramentum? R. Componi ex actibus penitentis, & absolutione ministri legitimi per modum judicii. Unde posita dolorosa accusatio, seu confessio ex parte rei, seu penitentis, tamquam materia, accedit absolutio ex parte Judicis, seu Con-

fessarii, tamquam forma. Quando autem juxta alegata, & probata, id est, juxta accusationem penitentis, ac ejus signa reperit illum absolutione indigum, profert tanquam Judex sententiam contra eum, relinquendo illum peccatis ligatum, ac ei denegando absolutionem.

23. Inq. 3. An hoc sacramentum sit necessarium necessitate medii, vel praecepti? R. Utroque modo esse necessarium in nova lege in re, vel in voto; quia ut dicit concil. Trid. hoc sacramentum est necessarium lapsis post baptismum, sicut ipse baptismus nondum regeneratis; sed baptismus nondum regeneratis est necessarius necessitate medii, & praecepti in re, vel in voto: erg. pariter hoc sacramentum. Sicut enim baptismus est absolute prima tabula, ita hoc sacramentum post peccati naufragium in lege nova est secunda tabula ad salutem necessaria. D. Thom. in *suplem. q. 6. a. 1.*

24. Inq. 4. An votum suscipiendi hoc sacramentum debeat necessario esse explicitum. R. Quod licet sit melius votum explicitum, sufficit tamen implicitum in ipsa contritione. Nam ad tollendum peccatum originale sufficit votum implicitum baptismi inclusum in ipsa contritione; erg. ad delenda peccata post baptismum commissam sufficit votum implicitum penitentiae inclusum in eodem actu contritionis, contritio enim ex se connectitur infallibiliter cum gratia.

25. Inq. 5. Quando obliget praeceptum divinum confessionis? R. Obligare potissimum in articulo mortis existentem in lethali, vel dubium de eo, aut probabiliter de eodem opinantem. Alias exponitur periculo numquam illud consistendi. Unde obligantur puerperae anteprium partum, vel ante alium periculosum, milites ante praelium, dum possint; & quilibet ante longam navigationem. Si autem Sacerdos absit, nulli alteri confiteri debet: peccata quippe graviter, confessionem faciendo Diacono, laico, aut mulieri; quia in praesenti statu daret occasionem suspicandi, quod adhaereat errori Lutheranorum, quem etiam improbatum docet Henricus VIII. ante suam perversionem in opere de *septem sacramentis* contra Lutherum, ut refert Bened. XIV. in *syn. lib. 7. cap. 16. n. 3.*

26. Objic.

Cap. II. De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma. 81

26. Objic. In canon. *Qui vult, de poenit. dist. 6.* & in D. Thom. in *4. dist. 17. q. 3. art. 3. quest. 2.* habetur, quod in casu necessitatis, deficiente sacerdote, potest fieri confessio etiam laico: erg. R. Quod olim in necessitate fiebat confessio etiam mulieri in defectu alterius ad majorem penitentis humilationem, ut Deus flecteretur ad ignoscendum; sed seculo XV. obsolevit mos iste, ita ut jam sit graviter illicitus ejus usus. Vide laudat. Bened. XIV. *cap. cit. n. 11.*

27. Inq. 6. Qui obstringantur praecepto divini confessionis? R. Obstringi omnes baptizatos usu rationis compotes, supposito gravi peccato. Nam datur praeceptum divinum recipiendi sacramentum penitentiae per modum judicii, ad quod necessarium requiritur confessio penitentis per modum rei, & accusatoris: igitur obligantur ad illam omnes baptizati post usum rationis in articulo mortis praecepto divino, & saltem semel in anno ex praecepto ecclesiastico. Infideles autem non baptizati, neque humano, neque divino praecepto obstringuntur ad confessionem: quod etiam satis inconsequenter asserit Concina obligando infideles ad communionem, *lib. 3. de Euchar. diss. 1. cap. 9. n. 11.* Et deobligando eos a confessione. *Lib. 1. de poenit. dissert. 4. cap. 2. num. 23. Vid. tract. 35. n. 28.*

28. Inq. 7. An in articulo mortis teneatur confiteri poenitens per interpretem, si aliter non valet? R. Ex D. Thom. *suplem. q. 9. a. 3.* *Quando non possumus uno modo, debemus, secundo quod possumus, confiteri.* Verum tunc sufficit exponere aliqua venialia, & generatim omnia mortalia. Imo si aliter non possit in illo articulo, debet fieri etiam publice confessio modo dicto. Non enim est contra valorem confessionis, quod fiat publice, quidquid alicui in oppositum sine fundamento sentiant. Mutus tenetur in dicto articulo confiteri per nuntium. Nullus adstringitur confiteri statim post commissum peccatum, quia nullum adest praeceptum ad id obligans. Unde esto melius esset, non tamen est necessarium. D. Thom. in *Suplem. q. 6. a. 5.* Congruo autem tempore debent confiteri omnia peccata, sive interna, sive externa cum circumstantiis speciem mutantibus, ut fides docet ex concil. trid. ubi contra haereticos

Tom. II.

ita fuit definitum *sess. 14. can. 7.*

PUNCTUM II.

De materia remota sacramenti penitentiae.

29. Inq. 1. Quae sit materia sacramenti penitentiae? R. Esse duplicem: nempe *proximam, & remotam.* Materia proxima sunt actus penitentis, de quibus postea. Materia remota sunt peccata commissa post baptismum, vel in ejus receptione. Haec materia remota etiam est duplex. *Necessaria, & voluntaria.* Materia *necessaria* dicitur, ad quam contentandam quis tenetur. *Voluntaria* est illa, quae, esto sit sufficiens pro constituendo sacramento, tamen sine peccato omitti valet. Igitur materia necessaria remota *circa quam* sunt peccata gravia, commissa post baptismum, vel in ejus receptione, non solum certa, sed etiam dubia, omnia prout sunt in conscientia. Peccata autem ante baptismum perpetrata non subduntur Ecclesiae clavibus, ut docet trid. *sess. 14. cap. 1. & 2.* Nam *quid mihi de his, qui foris sunt judicare?* inquit Apostol. *1. Cor. 5.*

30. Dicuntur peccata materia remota *circa quam*, quia non sunt materia, ex qua fit sacramentum, ut aqua in baptismo, & actus penitentis in hoc sacramento: nec sunt materia, in qua sacramentum recipitur, sed sunt materia, ad quam destruendam tendit sacramentum, sicut medicina ad destruendam infirmitatem; ideo appellatur materia remota *circa quam.* Unde non concurrunt effective instrumentaliter ad causandam gratiam sicut aqua in baptismo; quia nimirum ibi aqua est materia *ex qua*, non vero peccata in penitentia.

31. Objic. Si peccata sunt materia penitentiae, semel absoluta, non poterunt iterum absolvi, sicut panis semel consecratus, nequit iterum consecrari, consequens est falsum: erg. peccata non sunt materia remota penitentiae. R. Negando sequelam, & pariter: disparitas consistit in eo, quod pro pane iterum consecrando nequit apponi nova materia proxima, sicut apponitur nova confessio cum novo dolore pro peccatis iterum absolvendis.

L

32. Inq.